

alias maneret post substantiam sine subjecto; dicitur autem accidens corrumpi corruptione subjecti, non sicut per causam efficientem, quæ præcedit effectum, sed sicut propter finalem, quæ sequitur: ut sit sensus, quod quandocumque subjectum est corrupendum (x), prius omne accidens ejus corrumpitur, quia hæc est dispositio ad corruptionem substantiæ; unde accidens corrumpitur propter substantiam corrupendam, sicut generatur propter genitum. — *Tertio* potest dici quod corrumpitur per divisionem. Quia, licet quantitas, ut quantitas, sit divisibilis in infinitum; tamen, ut naturalis est, habet minimum. Et quia per naturam non potest quantitas ab omni qualitate naturali separari, quia per divisionem fieri potest ut nulla qualitas naturalis remaneat, quia in omni tali est dare minimum, per consequens, corrupta omni tali qualitate, corrumpitur quantitas, quæ a quantitate omnino separari non potest, quia omnium natura constantium est terminus. — Et ideo *quarto* potest dici quod corrumpitur per augmentationem. Quia enim quantitas retinet idem esse et ejusdem nature quod prius habuit, quia, secundum quod erat substantiæ et talium qualitatum, erat diminuibilis et augmentabilis usque ad certum terminum, ultra quem non poterat manere in illo subjecto, nec cum illis qualitatibus connaturalibus, sed corrumpitur; ita et nunc, per augmentum et diminutionem (z), per quæ omnem qualitatem perderet, et perdidisset naturale subjectum. » — Hæc Petrus, et bene.

Quomodo autem intelligenda sint ea quæ sanctus Thomas dicit in probatione hujus tertie conclusionis de dimensionibus interminatis, et utrum mediant inter materiam et formam substantialem, visum fuit in 2. *Sentent.* (dist. 18); nec oportet hic repetere.

Ad argumentum contra questionem, patet solutio per predicta (y).

Et hæc de questione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

(x) *corrupendum.* — *corruptum* Pr.

(z) *diminutionem.* — *divisionem* Pr.

(y) Cfr. responsiones datas ad argumenta contra secundam conclusionem.

## DISTINCTIO XIII.

### QUESTIO I.

UTRUM HOSTIE VEL SANGUINI A DUOBUS CONSECRATO  
POSSIT ALIQUID ADMISCERI

**C**IRCA finem duodecimæ distinctionis, et circa decimantertiam distinctionem 4. *Sententiarum*, queritur: Utrum hostiæ vel sanguini a duobus consecrato possit aliquid admisceri.

Et arguitur quod non. Quia nec plures possunt eandem hostiam consecrare, nec speciebus panis et vini potest aliquid admisceri. Ergo conclusio falsa. — Antecedens probatur pro prima parte. Quia plurium agentium sunt plures actiones, maxime quando quilibet sufficit ad agendum. Sed unus sacerdos tantum potest consecrare. Ergo, si plures consecrant simul, sunt plures consecrationes super eandem hostiam; et ita fit injuria sacramento. — Pro secunda parte, probatur. Quia, ut in 1. *de Generatione* (l. c. 83) probat Philosophus, accidens non permiscetur substantiæ. Sed quilibet liquor substantia quedam est. Cum ergo species sint tantum accidentia, videtur quod nihil possit eis permisceri.

In oppositum arguitur. — Et primo, pro prima parte questionis. Quia consuetudo est quarundam Ecclesiarum, quod novi sacerdotes in sua ordinatione Episcopo concelebrant super eandem materiam panis et vini. — Pro secunda parte, arguitur. Quia majus est corrumpi quam permisceri. Sed illæ species possunt corrumpi. Ergo et misceri.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod plures sacerdotes possunt simul unam et eandem hostiam, vel idem vinum consecrare.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 82, art. 2. ubi sic dicit: « Sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt

in (α) coena potestatem consecrandi. Et ideo, secundum consuetudinem quarundam ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cenanti concenauerunt, ita noviter ordinati Episcopo ordinanti concelebrant. Nec per hoc iteratur consecratio super eandem hostiam: quia, sicut dicit Innocentius III (*de Myster. Missae*, lib. 4, cap. 25), *omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.* » — Hac ille.

Idem dicit, 4. *Sentent.*, dist. 13, q. 1, art. 2, in solutione secunde quaestiuiculae. « Secundum morem, inquit, quarundam ecclesiarum, plures sacerdotes Episcopo concelebrant, quando ordinantur, ad representandum quod quando Dominus hoc sacramentum constituit, et potestatem consecrandi discipulis dedit, eis concenavit, sicut Episcopus simul cum ordinatis presbyteris celebrat. » — Hac ille.

Item, ibidem, arguit sic (arg. 2): « Unus dicens verba, virtute verborum consecrat. Sed quod factum est, fieri non potest; quia quod est, non fit. Ergo alii nihil faciunt. Ergo superfluum est quod dicunt verba. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, sicut Innocentius dicit (*de Myster. Missae*, lib. 4, cap. 25), omnes concelebrantes debent intentionem referre ad illud instans in quo Episcopus verba profert. Et sic Episcopi intentio non fraudatur, nec aliquis ibi facit quod factum est. » — Hac ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Celebratio in consecrando per Ecclesiam tolerata, et a Sacris Doctoribus approbata, effectum consecrationis habet; nec est sine effectu. Sed huiusmodi est celebratio plurium sacerdotum, in eorum ordinatione, super eandem materiam panis et vini. Ergo, etc.

**Secunda conclusio** est quod, vino consecrato, potest alius liquor admisceri.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 77, art. 8, ubi sic dicit: « Species in hoc sacramento permanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiae, ita etiam adipiscuntur modum agendi et patiendi (β), ut scilicet agere et pati possint quidquid ageret vel pateretur substantia. Sed, si substantia ibi esset, posset alius liquor permisceri. Ergo et istis speciebus. Huiusmodi tamen permixtionis duplex esset effectus: scilicet secundam formam liquoris, et secundum quantitatem. Si enim permisceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum. Quod autem est permixtum ex duobus, neutrum miscibile est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum.

(α) in. — a Pr.

(β) patiendi. — patiendum Pr.

Unde sequeretur quod vinum prius existens non remaneret, si liquor permixtus esset alterius speciei. Si autem esset ejusdem speciei liquor adjunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum. Quod declarat diversitas accidentium, puta si unum vinum esset album, et aliud rubrum. Si vero liquor adjunctus esset tam parvae quantitatis, quod non posset diffundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars ejus; quae quidem non remaneret eadem numero, propter permixtionem extraneae materiae; remaneret tamen eadem species, non solum si parvus liquor permixtus esset ejusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei; quia putta aquae multo vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur, 1. *de Generatione* (l. c. 34, 39 et 88). Manifestum est autem quod corpus et sanguis Christi remaneant in hoc sacramento quamdiu illae species manent eadem; consecratur enim hic panis, et hoc vinum. Unde, si fiat tanta permixtio liquoris cujuscunque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, et fiat permixtio, erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguis Christi. Si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio, quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia. » — Hac ille.

Simile ponit, 4. *Sentent.*, dist. 12, q. 1, art. 2, in solutione sextae quaestiuiculae. « Quidam, inquit, dicunt quod quicumque liquor addatur speciebus vini, in quacunque quantitate, desinet ibi esse corpus Christi: quia dimensiones illae non manent eadem, et iterum liquor qui additur, per totum diffunditur; unde, cum corpus Christi non sit sub speciebus cum alio corpore, oportet quod in toto desinat esse corpus Christi. Sed haec positio non potest stare. Constat enim quod corpus Christi manet ibi quamdiu illa accidentia manent; illa autem accidentia non corrumpuntur aliter quam corrumpere substantia panis et vini; constat autem quod ex parvo liquore addito non destrueretur vinum; et ideo nec species vini remanentes. Rationes etiam praedictae non cogunt. Primo, quia non quaelibet dimensionum destructio tollit sacramentum. Sicut enim additio, ita et divisio facit aliam dimensionem, ut patet per Philosophum; divisio autem non tollit veritatem sacramenti, ut patet in pane qui frangitur; unde nec additio: quia illa varietas dimensionum, quam facit talis additio et divisio, est quantum ad determinationem ipsarum, et non quantum ad indeterminatum esse earum, secundum quod compellit eis subsistere, neque quantum ad esse in quo subsistunt conformes (α) substantiae praecedenti. Similiter etiam parvus

(α) conformes. — conforme Pr.

liquor constat quod non potest diffundi per omnes dimensiones, nisi excederet in virtute, et transmutaretur in aliam speciem. Unde non oportet quod occupet omnes dimensiones. Et ideo aliter dicendum, quod hoc modo admiscetur liquor quicumque illis speciebus, sicut admisceretur substantiæ vini. Liquor autem additus, si esset æqualis quantitatis vel majoris, pertingeret ad omnes dimensiones vini; et sic, si esset alterius speciei, faceret alteram speciem liquoris mediam; si autem esset ejusdem speciei, vinum faceret aliud vinum secundum numerum, maxime quantum ad accidentia. Si autem liquor additus esset minoris quantitatis, non posset pertingere ad omnes dimensiones totius vini, sed ad aliquas, et illas immutaret aliquo dictorum modorum; et forte mutaretur secundum speciem, si esset alterius speciei. Constat autem quod in hoc sacramento non manet corpus Christi nisi quamdiu illæ species manent eodem numero. Et ideo, si ponatur parvus liquor, corrumpet partem specierum, et sub illa parte desinet esse corpus Christi; non enim est probabile quod una gutta aquæ per totum scyphum diffundatur. Si autem addatur in magna quantitate, sic corrumpet species secundum totum; et ita totaliter desinet esse corpus Christi. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Quidquid poterat pati substantia vini ante consecrationem, potest pati species remanens post consecrationem. Sed substantia vini poterat misceri aliis liquoribus. Ergo hoc possunt species remanentes.

Et in hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### § 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**Argumenta Durandi.** — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem, contra primam arguit Durandus (dist. 13, q. 3) in hunc modum: Conclusio ista, inquit, potest intelligi dupliciter: uno modo, quod plures sacerdotes sic consecrent unam hostiam, quod unus consecret unam partem hostiæ, puta medietatem, et alius consecret aliam medietatem, hostia tamen integra remanente; alio modo, quod quilibet consecret eam totam. Primum adhuc potest intelligi dupliciter; uno modo, quod quilibet intendat consecrare solum medietatem, non signando quam medietatem hostiæ; alio modo, eam signando, sensu, vel imaginatione, vel quocumque alio modo.

Si primo modo, sic dicendum est quod plures sacerdotes non possunt consecrare unam hostiam,

si nullus signet quam medietatem intendit consecrare, sed solum in generali intendit de medietate, quæcumque sit illa, et non de tota. Quod sic patet. Quia, qua ratione talis sacerdos consecraret hanc medietatem, puta quæ est a dextris, eadem ratione et illam quæ est a sinistris; quia intentio sua non est magis de hac quam de illa, sed est absolute de medietate, quæ indifferenter se habet ad hanc et ad illam. Ergo aut utramque æqualiter consecrat, aut neutram. Non utramque: quia tunc consecraret totam; quod non potest esse, cum non intendat consecrare totam, sed solum medietatem. Ergo neutram consecrat; quod est propter defectum intentionis, quæ debet esse determinate de materia consecranda.

Si autem intelligas secundo modo, scilicet quod sacerdos signet medietatem quam vult consecrare, sic posset videri alicui quod si consecratio fiat (x) per transsubstantiationem panis in corpus Christi, nullo modo est possibile, hostia manente integra, unam partem consecrari sine alia parte. *Primo*: quia talis consecratio non est possibilis, nisi una pars substantiæ panis possit converti sine alia parte; sed hoc non est possibile, ut probabitur; ergo, etc. *Probatio minoris*: quia substantia panis sub quantitate hostiæ non habet partem et partem nisi per quantitatem, (6) immo quantitas sua est essentialiter sua partibilitas, (non enim præter partes quantitatis sunt aliæ partes materiæ, ut aliqui imaginantur, nisi diceremus quod alia est extensio materiæ, et alia quantitatis; quod non est verum); ergo non potest converti pars substantiæ panis, nisi simul convertatur sua quantitas, quæ est essentialiter et intrinsicè sua partibilitas; quo facto, hostia non remanet integra; quare, etc. — *Secundo*: quia unum numero non potest fieri multa nisi divisione quantitatis, cum definitio quanti sit quod *quantum est divisibile in ea quæ insunt*, 5. *Metaphysicæ* (l. c. 18); sed, si pars substantiæ panis converteretur, quantitate manente integra, unum numero, scilicet substantia panis, divideretur in plures partes, scilicet in partem conversam et in partem non conversam, absque divisione quantitatis; ergo hoc non est possibile. — Sed ad hoc potest dici quod, si pars quæ convertitur maneret actualiter, et non corrumpere, istæ rationes procederent, naturaliter loquendo. Sed quia pars quæ convertitur, sua conversione desinit esse (nec mirum, quia desinit actu esse), ideo non oportet quod conversione talis partis quantitas convertatur. Nec ad divisionem totius in tales partes, quarum una corrumpitur et alia remanet, requiritur divisio quantitatis: quia tam forma substantialis quam accidentalis per quantitatem extensa, corrumpitur secundum partem

(x) fiat. — fuit Pr.

(6) et partem nisi per quantitatem. — Om. Pr.

quantitativam, quantitate manente incorrupta. Actio enim corrumpentis naturaliter, licet non sit nisi in aliquid quantum, tamen respicit qualitatem ut terminum qui abjicitur et corrumpitur, quantitatem vero ut subjectum quod manet, nec corrumpitur nisi per accidens, quatenus corruptis qualitatibus corrumpitur substantiale, et per consequens quantitas quæ inest substantiæ ut subjecto. Et sicut fit naturaliter corruptio partis quantitativæ albedinis, absque corruptione aut divisione quantitatis; sic, virtute divina, potest fieri corruptio partis substantiæ panis, et per consequens conversio ejus in corpus Christi, absque corruptione et divisione quantitatis. Posset etiam virtute divina fieri quod pars substantiæ panis maneret, et fieret sub alia quantitate, prima (x) non corrupta nec divisa: quia, licet definitio quanti sit quod quantum est divisibile in ea quæ insunt, tamen hic non esset divisio, sed aliud genus actionis, videlicet corruptio et conversio, ut nunc fit in sacramento, vel translatio ejusdem subjecti de uno accidente ad aliud: sicut enim Deus posset facere quod substantia, quæ est nunc sub una quantitate, fieret sub alia, prima (z) non corrupta nec divisa; sic, ut videtur, posset facere quod pars substantiæ existentis sub parte unius quantitatis, fieret sub parte alterius quantitatis. — Propter quod dicendum est aliter: quod si media pars hostiæ integræ potest sensu, imaginatione, vel intellectu signari, absque reali divisione, tunc media pars potest consecrari sine alia; quia concurrunt omnia quæ pertinent ad sacramentum, scilicet forma, materia, minister et intentio; si non, non (y). Est autem valde difficile videre quomodo sensus, imaginatio, vel intellectus inter partes continuas possint (z) distincte signare unam partem, nihil accipiendo de altera.

Si autem conclusio intelligatur secundo modo, scilicet an plures sacerdotes possint consecrari unam hostiam, ita quod quilibet consecret eam totam, sic est duplex modus dicendi. Quidam enim dicunt quod sic, etiam si non simul proferant verba consecrationis, sed unus post alium. Quorum ratio est: quia sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui in cæna acceperunt potestatem a Domino consecrandi; sed Apostoli, qui tunc hanc potestatem acceperunt, Christo cœnanti cœnaverunt; et ideo novi ordinati, secundum quarundam Ecclesiarum consuetudinem, Episcopo celebranti concelebrant, et, per consequens, consecrant eandem materiam cum Episcopo. Nec per hoc iteratur consecratio super eandem materiam; quia, licet diversis temporibus proferant verba unus et alius, tamen,

(x) prima. — *puta Pr.*  
 (z) prima. — *puta Pr.*  
 (y) si non, non. — *Om. Pr.*  
 (z) possint. — *possit Pr.*

sicut dicit Innocentius III (*de Myster. Missæ*, lib. 4, cap. 25), intentio debet ferri ad idem instans consecrationis, forte ad illud in quo consecrat Episcopus.

Sed hic oriuntur aliqua nova dubia. Primum est, quia, etsi Apostoli Christo cœnanti concelebraverunt, non tamen concelebraverunt; quare similiter ordinati Episcopo communicanti communicare debent (quod etiam fit secundum consuetudinem omnium Ecclesiarum); non tamen debent concelebrare. — Et quod dicitur secundo, quod hæc est consuetudo aliquarum Ecclesiarum, — dicendum quod bene est consuetudo in aliquibus Ecclesiis, quod illi qui ordinantur in sacerdotes, Episcopo incipiente canonem missæ, ipsi incipiunt et perficiunt totum, exceptis verbis consecrationis, quæ non dicunt (et super hoc specialiter instruuntur); et, cum in illis verbis consistat consecratio, constat quod non consecrant cum Episcopo. Et si in aliquibus locis sit consuetudo quod dicant verba consecrationis, non est dubium quod periculosa est, et magis est abolenda quam servanda: quia vix aut nunquam potest fieri quod omnes simul proferant verba consecrationis, cum illi qui ordinantur sint parum scientes et parum discreti, nec unus exspectat alium in dicendo verba canonis et consecrationis, nec illa verba dicuntur in alto, ut unus possit alium audire et se ei conformare; et sic contingit quod unus proferat verba consecrationis ante alium, et primus consecrat totum, si tunc consecrare intendit, et sequentes nihil faciunt, sed iterant verba consecrationis super materiam jam consecratam. — Item, talis consuetudo potius debet dici corruptela vel abusus quam consuetudo. Cujus ratio est: quia quando aliquid est omissum de pertinentibus ad ordinationem alienius, illud debet suppleri, antequam ille exequatur officium sui ordinis; sed ordinationis non est completa quando fit consecratio in missa, immo restant quedam facienda, scilicet manuum impositio cum præscripta forma verborum, *Accipite, inquit, Spiritum Sanctum*; ergo irrationabile est quod sacerdotes simul cum Episcopo sint concelebrantes, cum nondum completa sit ordinationis eorum. — Nec valet quod dicitur, quod intentio (z) omnium fertur ad idem instans consecrationis, scilicet ad illud in quo Episcopus proferat verba. Quia intentio non facit quod verba habeant suam efficaciam antequam proferantur, vel postquam prolata sunt; alioquin effectus consecrationis posset anticipari vel differri secundum voluntatem sacerdotis, ita quod proferens verba consecrationis maneat, et intendens quod non haberent effectum suum tunc, sed circa horam (z) tertiam, consecraret circa tertiam virtute verborum precedentium; quod

(x) intentio. — *intellectus Pr.*  
 (z) horam. — *Om. Pr.*

non videtur conveniens, sed periculosum et erroneum (α). Ergo verba consecrationis habent effectum suum in primo instanti quo prolata sunt, vel nunquam. Si ergo non omnes simul verba consecrationis proferant, qui primus profert, totum consecrat, si pro tunc consecrare intendit, sequentes autem nihil faciunt, sed solum verba consecrationis iterant super materiam jam consecratam.

Et ad hoc dicunt quidam, quod illi qui proferunt verba prius quam Episcopus, non intendunt tunc consecrare; et ideo tunc non consecrant, cum desit intentio tunc consecrandi; sed virtus verborum transeuntium manet virtute divina in aere, usque ad instans in quo Episcopus profert verba consecrationis; et tunc concurrunt omnes virtutes verborum præcedentium; et sic omnes consecrant eandem materiam. Cum episcopi Ecclesia regatur a Spiritu Sancto, credibile est quod consuetudines ab Ecclesia approbatae, sint conformes divinae voluntati; et ideo ubi est talis consuetudo quam Romana Ecclesia scit (et Innocentius, qui fuit Papa, scivit, nec reprobat, immo potius approbat), temerarium videtur tales consuetudines reprobare. Quamvis enim intentio sacerdotis non possit anticipare vel retardare effectum verborum, divina tamen virtus, cui concordantes sunt tales ordinationes, potest effectum verborum suspendere et retardare. — Quod autem Innocentius talem consuetudinem approbet, confirmatur per illud quod ipse dicit, *de Officio Missæ*, cap. 25, lib. 4, ubi dicit sic: *Consueverunt Presbyteri Cardinales Romanum Pontificem circumstare, cumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem accipere, significantes Apostolos, qui, cum Domino pariter discumbentes, de manu ejus Eucharistiam acceperunt.*

Primum autem istorum, scilicet quod virtus præcedentium verborum remaneat in aere usque ad instans verborum in quo Episcopus consecrat, est adeo derisorium, quod non est reprobatione dignum. Quod enim Deus, propter particularem consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, transferat accidens de subjecto in subjectum, scilicet virtutem quam ponunt in verbis quæ transeunt, et conservet eam in aere, et mutet ritum sacramentorum quem ipse instituit, est pure fictitium; sed illud quod universalis Ecclesia tenet de sacramentis et articulis, est a Spiritu Sancto. — Quod autem dicitur de Innocentio qui videtur approbasse illam consuetudinem, potest dici quod approbavit ut doctor, et non ut Papa. Nec sua doctrina tenetur in omnibus. Nec Ecclesia Romana tenet illud quod ipse dicit de Presbyteris Cardinalibus concelebrantibus cum Papa. Et, si fiebat tempore suo, nunc tamen non fit; quia visum est periculum posse de facili contingere in tali celebratione, immo vix fieret quoniam periculum

contingeret. Et ideo illa consuetudo abolita est, sicut nobis constat, qui in Curia Romana longo tempore stetimus, et adhuc ibidem sumus, et missis Synagorum Pontificum interfuimus, in quibus illa consuetudo nunquam fuit observata (α). Et, si observaretur, non esset necessarium credere quod bene fieret: quia, secundum Hieronymum, non quod sit Romæ, sed quod fieri debet, attendendum est.

Alius modus est, quod plures sacerdotes eandem hostiam possunt consecrare, dum tamen verba consecrationis simul proferant; alias non, sed primo proferens totum consecrat, et sequens nihil facit. Quod probatur sic: Concurrentibus omnibus quæ sunt de necessitate sacramenti, vere perficitur sacramentum; sed quando sacerdos profert verba consecrationis super debitam materiam cum intentione consecrandi, tunc concurrunt omnia quæ sunt de necessitate sacramenti; ergo vere consecrat; sed quia ratione iste consecrat, eadem ratione et alius qui eadem verba simul profert simili intentione; quare, etc. — Hæc Durandus.

## § 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**Argumenta Durandi.** — Contra secundam conclusionem arguit Durandus (dist. 12, q. 3), tripliciter.

**Primo**, contra hoc quod dicit conclusio de liquore addito alterius speciei. Vult enim probare primo, quod, si talis liquor est æqualis vel majoris virtutis, desinit ibi totaliter esse sanguis Christi. Secundo, quod si sit minoris virtutis, remanet ibi sanguis sub omni parte specierum sub qua prius erat; sed non incipit esse sub liquore admixto et corrupto; quia quod inde generatur, est vinum, et non species vini.

Primum probat. Quia quando desinit esse consecratio, desinit esse sanguis. Sed sic est in proposito. Ergo, etc. Minor probatur. Quia quod desinat ibi esse quantum ad qualitates saporis et coloris, non est difficile videre: quia, ut dicitur, 1. *Physicorum* (l. c. 64), ad agendum sufficiunt duo contraria, ad patiendum vero unum subjectum; sed hic est dare contrarietatem inter qualitates ejus quod apponitur, puta aquæ, et ejus cui apponitur, puta vini; subjectum autem passibile sub utraque qualitate est quantitas, quæ de se nata est subijci contrariis; ergo ista sufficiunt ad hoc ut qualitates specierum vini per admixtionem contrarii, puta qualitatum aquæ, corrumpantur. De quantitate autem, quomodo corrumpatur per admixtionem liquorum, non clare patet: quia non per actionem contrarii, nec per corruptionem subjecti, nec per divisionem, sed divina virtute corrumpitur. Sed, dato quod non corrumpatur quantitas, corruptio qualitatum sufficeret

(α) erroneum. — enorme Pr.

(α) observata. — conservata Pr.

ad hoc ut sanguis Christi ibi desineret esse, propter duo. Primo, quia species vini pertinent ad sacramentum, quatenus representant substantiam vini, quæ conversa est; sed substantiam magis representant qualitates quam quantitates, quia quantitas est omnibus communis, qualitates autem aliquæ sunt propriæ, secundum naturam formæ specificæ; ergo qualitates magis pertinent ad hoc sacramentum quam quantitas; ipsis ergo corruptis, desinit sacramentum. Secundo, quia sacramentum est sensibile signum, ut patet ex sua diffinitione; sed species magis sunt sensibiles ratione qualitatum quam quantitatibus, ut sic eorum corruptio sufficiat ad corruptionem sacramenti; unde Innocentius III dicit quod ubi similitudo deficeret, sacramentum non esset; similitudo autem attenditur penes qualitates.

Secundum patet: quia tamdiu manet sanguis Christi, quamdiu manent primæ species; sed illæ manent incorruptæ, sive divisæ, sive non, quamdiu sunt majoris virtutis, quia corrumpunt et non corrumpuntur (α); igitur, etc. — Hæc Durandus, in forma. — Ex quibus videtur quod sanctus Thomas diminue distinguit de admixtione liquorum alterius speciei.

Secundo (β) potest argui contra eandem partem conclusionis, quæ dicit quod per additionem modici liquoris alterius speciei, aliqua pars specierum corrumpitur. Quia non magis sequitur corruptio specierum per additionem aquæ post consecrationem, quam ante. Sed per appositionem aquæ ante consecrationem, non dicimus aliquam partem vini, quantumcumque modicam, corrumpi, sic quod illa non fiat sanguis Christi, sicut in aliis; immo vinum convertit in se aquam, et totum est vinum, quod totum convertitur in sanguine, sicut ipsemet Thomas dicit, dist. 11, q. 2, art. 4, de aqua. Ergo, a simili, gutta aquæ appositæ speciebus vini, nulla specierum pars corrumpitur, sed sola gutta aquæ convertitur. Unde in nulla parte specierum desinit esse sanguis Christi, in qua prius esset.

Secundo loco contra eandem conclusionem arguit idem Durandus, probando quod, si liquor appositus speciebus vini sit ejusdem speciei quoad naturam substantiæ et qualitatum, utpote si de eodem dolio primo consecratur vinum, et postea consecrato apponeretur simile non consecratum, quod non propter hoc desinit ibi esse sanguis Christi, sive illud quod apponitur speciebus vini consecrati sit majus, sive æquale, sive minus.

Primo. Quia simile non corrumpit sibi simile. Sed contingit quod liquor appositus speciebus vini, sit per omnia similis eis; et sic ponitur in proposito, cum de eodem dolio utrumque vinum accipi-

tur. Ergo, per appositionem talis liquoris, species præexistentes non corrumpuntur.

Uterius ex hoc arguitur sic: Quotiescumque quantum additur quanto, manente quantitate utriusque, quantumcumque fiant unum continuum, semper tamen distinguuntur secundum positionem et situm; quia duæ quantitates, etiam si sint partes unius quantitatibus continuæ, necessario distinguuntur situ et positione. Sed sic est in proposito, ut ostensum est: quia vinum appositum, et species quibus apponitur, manent quoad quantitatem suam, et quoad qualitates. Ergo, quantumcumque faciant unum secundum continuitatem, eo quod sunt similia secundum speciem, et utrumque liquidum, propter quod de facili continuantur, semper tamen distinguuntur secundum situm. Hanc autem continuitatem quantitatum, et nihilominus distinctionem secundum situm, non sic intelligo quod totum vinum appositum sit ex una parte, et species vini consecrati ex alia, et continentur solum secundum unum latus in quo applicentur, quemadmodum in insitione ramus appositus trunco continuatur ei solum secundum unam extremitatem, si tamen sit ibi vera continuatio: quia talis modus continuationis est contra naturam liquidorum; sed unum subintrat alterum secundum parvas partes, et cedit (α) unum alteri; semper tamen distinguuntur secundum situm partes utriusque vini, licet imperceptibiliter, propter parvitatem partium et similitudinem earum. Et ideo sub partibus specierum vini præexistentibus manet sanguis Christi, et non sub partibus vini appositæ.

Confirmatur. Quia omnes Doctores communiter dicunt quod sanguis Christi non desinit esse sub speciebus vini consecrati, nisi per talem alterationem, seu immutationem, per quam desineret ibi esse substantia vini, si subesset. Sed constat quod per appositionem vini similis in substantia et qualitate, præcedens nullo modo desineret esse. Ergo per appositionem vini similis in substantia et qualitate vino consecrato et speciebus ejus, non desinit corpus Christi esse sub speciebus prioribus vini consecrati.

Tertio loco arguit contra eandem conclusionem, probando primo (β), quod si liquor appositus sit ejusdem speciei quoad substantiam, non autem quoad aliquas qualitates, puta si vino rubeo consecrato apponeretur vinum album non consecratum, quod adhuc remanet sanguis Christi, ac si fuisset appositum vinum totaliter simile. Quia præcedens color non est corruptus, nec novus generatus, secundum rem, sed solum secundum apparentiam, per secuspositionem (γ) parvarum partium utriusque

(α) corrumpuntur. — corrumpunt Pr.

(β) Hoc secundum argumentum non reperitur apud Durandum, sed apud Petrum de Palude, dist. 12, q. 5.

(α) cedit. — cedunt Pr.

(β) primo. — Om. Pr.

(γ) secuspositionem. — susceptionem Pr.

liquoris; quod ex eo posset aliquis credere hoc (x), quia color qui resultat ex appositione vini albi cum rubeo, nunquam apparet ita purus nec ita uniformis in suis partibus, sicut si esset naturalis. Vel, dato quod præcedens color corrumpatur, non obstat quoad propositum. Quia corruptio, vel variatio illarum specierum quæ se habent per accidens ad sacramentum, non mutat ipsum. Sed variatio albi et nigri circa vinum, se habet per accidens ad sacramentum; potest enim confici de uno sicut de alio. Istæ etiam qualitates non proprie demonstrant speciem vini, cum possint in aliis rebus inveniri; non sic autem est de sapore, vel aliquo alio tali. Ergo corruptio, vel mutatio talium qualitatum non mutat sacramentum. — Et potest confirmari per rationem immediate prius factam: quia substantia vini non desineret esse per solam alterationem de colore in colorem; et eodem modo nec sanguis Christi.

Uterius finaliter (6) probat quod ratio adducta pro conclusione non valet. Fundatur enim conclusio in hac ratione: Quælibet pars mixti est mixta. Si ergo aliquis liquor misceatur speciebus vini consecrati, quælibet pars totius mixti erit mixta. Ergo non erit seorsum signare liquorem appositum et species præexistentes. Ergo per totum mixtum est substantia liquoris appositi. Sed sanguis Christi non est in hoc sacramento cum substantia alterius corporis. Ergo per talem admixtionem desinit ibi esse sanguis Christi. Ecce rationem. — Quod autem ista ratio non valeat, ostendit, dicens: In appositione, inquit, similium, non est mixtio proprie dicta, secundum quam quælibet pars mixti est mixta; de qua loquitur Aristoteles, 1. de Generatione. Illa enim mixtio diffinitur, secundum ipsum (1. de Gener. et corrupt., t. c. 90), quod est *mixtibilium alteratorum unio*. Et loquitur de alteratione quæ inducit corruptionem: sic enim alterantur elementa, ut veniunt in compositionem corporis mixti; quia non manent actu secundum suas formas et qualitates activas et passivas, sed virtute tantum. Similia autem secundum speciem, si sint quoad omnia similia, nullo modo se alterant. Si vero sint similia secundum speciem substantiæ, et dissimilia secundum aliquas qualitates, sicut vinum album est dissimile rubeo, sic possunt se alterare aliquo modo, sed non corrumpere. Mixtio ergo talium est per juxtapositionem partium: ita quod nulla pars est immixta; sed totum dicitur mixtum, quatenus continet partes diversorum. — Hæc ille, in forma.

Et in hoc tertius articulus terminatur.

(x) hoc. — hic Pr.  
(6) tertio. — Ad. Pr.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### § I. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**Ad argumenta Durandi.** — Quantum ad tertium articulum respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem, ad objecta contra primam conclusionem primo modo intellectam, scilicet an plures possint eandem hostiam simul partialiter consecrare, ita quod neuter totam, sed unus unam medietatem, et alius consecret aliam; — dicitur primo, quod illum modum ponendi non legitur sanctus Thomas posuisse, nec in *Scriptis*, nec in *Summa*, sed solum secundum modum ibidem recitatum. Et ideo non est necesse respondere argumentis secundum (x) primum dicendi modum accipiendis (6).

Dicitur secundo, quod nec argumenta adducta contra illum modum concludunt sufficienter, potissime contra secundum membrum divisionis ibidem factæ. Conceditur enim quod concluditur ibidem contra primum membrum, scilicet quod intendens in confuso, et sine aliqua speciali determinatione, consecrare medietatem alicujus hostiæ, nihil consecrat. Sed, si intendat consecrare medietatem determinatam alicujus hostiæ, quam signat sensu, aut imaginatione, aut intellectu, potest illam solam consecrare; et alius aliam medietatem consimiliter signatam, dato quod hostia sit integra, potest consecrare. Et sic duo possunt eandem hostiam partialiter consecrare, sic quod neuter totam, sed uterque dimidiam consecret.

Nec argumenta in oppositum valent. Non quidem *primum*; quia minor est falsa, scilicet quod una pars hostiæ integræ non possit converti in corpus Christi, alia parte non conversa, sed remanente. Nec valet probatio illius minoris; quia fundatur in uno manifeste falso, scilicet quod substantia panis et vini non habeat alias partes distinctas a partibus quantitatis sibi inherentes et eam extendentis. Licet enim quantitas sit partibilitas substantiæ, et id quo formaliter substantia habet partes unius rationis; tamen partes substantiæ non sunt partes quantitatis, nec econtra, sed sub diversis partibus quantitatis sunt diversæ partes substantiæ unius rationis. Et licet sit eadem extensio, formalis substantiæ et quantitatis, non tamen idem extensum utriusque: quia substantia est quid extensum, licet denominative et per aliud; quantitas vero est aliquid extensum formaliter et per se. Si enim substantia quantitati subiecta nullas haberet partes præter partes quantitatis, sequitur quod ipsa se haberet ad quan-

(x) secundum. — Om. pr.  
(6) accipiendis. — recipientis Pr.



titatem sibi inherentem, sicut anima rationalis se habet ad corpus quod informat, scilicet quod esset tota in toto, et tota in qualibet parte. Sequitur etiam quod diversæ partes quantitatis haberent idem subjectum adæquatum; immo quod idem esset subjectum adæquatum totius quantitatis et cujuslibet partis ejus; et quod duo accidentia, immo infinita ejusdem speciei, essent in eodem subjecto adæquato, scilicet infinita puncta, infinitæ lineæ, infinitæ superficies, infinitæ partes proportionales ejusdem quantitatis. Sequitur etiam quod aliquid esset subjectum quantitatis continuæ, et nullo modo esset extensum, nec divisibile actu nec potentia in partes intrinsecas. Et infinita alia inconvenientia sequuntur ex illa positione. Item, si probatio valeret, non solum concluderet quod non essent aliæ partes substantiæ a partibus quantitatis, verum etiam quod nullum accidens haberet partes alias a partibus quantitatis, nec per se, nec per accidens, nec actu, nec potentia. Item, quod eadem essent partes substantiæ, et quantitatis, et qualitatis, et omnium concomitantium vel precedentium aut sequentium quantitatem. Quæ omnia sunt absurda, et manifeste falsa. Sequeretur etiam quod eadem substantia materialis, esset circumscriptive in diversis locis, quia sub diversis partibus quantitatis, quæ sunt in diversis sitibus. Conceditur ergo quod aliæ sunt partes integrales substantiæ subjectæ quantitati, et aliæ sunt partes quantitatis, et aliæ sunt partes qualitatis, licet ratio partibilitatis omnium sit quantitas; alias posset concedi et deberet quod in sacramento Eucharistiæ remanent partes substantiæ prius sub quantitate existentis, cum ibi remaneant partes suæ quantitatis, ex quo illæ partes et istæ erant eadem; et si remanent omnes partes, ergo et idem totum; et sic tota substantia remanet; quod est falsum. De hoc sanctus Thomas, 1 p., q. 76, art. 6, in solutione secundi, sic dicit: « Dimensiones quantitativæ sunt accidentia consequentia corporeitatem, quæ materiæ toti convenit. Unde materia jam intellecta sub corporeitate et dimensionibus, potest intelligi ut distincta secundum diversas partes, ut sic accipiat diversas formas. » — Hæc ille. — Item, in tractatu *de Natura materiæ* (cap. 5), sic dicit: « Nihil penitus est commune formæ et privationi, nisi materia nuda: quia terminus actionis physicæ, scilicet generatio, attingit nudam essentiam materiæ; quia generatio non est motus. Alteratio autem non attingit ipsam essentiam materiæ, cum nullum accidens transeat suum subjectum. Subjectum autem alterationis est ens actu, habens diversas partes; quia alteratio est motus. Loquimur enim de alteratione quæ est semper abjiciendo aliquid a re alterata; talis namque alterationis terminus est generatio. Materiam autem habere diversas partes per se, non est possibile; quia diversitas partium est proprie ipsius compositi

constituti ex diversis partibus. Unde materia, sicut est in potentia ad formam, in cujus acquisitione est generatio compositi constituti ex diversis partibus; ita est in potentia ad diversitatem partium ejusdem compositi ex ea generati. Ex materia enim non generatur forma, secundum Philosophum, per se: quia illud ex quo generatur aliquid per se, est pars ejus; materia autem non est pars formæ, sed ipsius compositi. Ideo compositum generatur per se, ut dicitur, 7. *Metaphysicæ* (t. c. 27). Compositum autem dicitur, quod diversas partes habet. Unde diversitas partium non est materiæ per se, nec formæ per se, sed compositi. Compositum vero esse, nihil aliud est quam materiam transmutari ad formam, ad quam erat in potentia. Ex quo manifestum est quod non aliunde materia est in potentia ad partes terminatas et distinctas, quam per id quod est in potentia ad formam, cujus inductio est generatio compositi ex diversis partibus. Et ex hoc manifestum est quod nulla potentia ponenda est ex parte materiæ, nisi illa quæ perficitur per formam substantialem; cum ad idem genus spectent materia et sua forma. Potentia autem in qua dimensiones predictæ ponuntur, non informatur forma substantiali, cum ad idem genus substantiæ non (z) pertineat. Impossibile est ergo aliam potentiam ponere a parte materiæ respectu formæ substantialis, et respectu diversitatis partium ipsius compositi generati per inductionem formæ in materia. Quando ergo aliqua forma substantialis perficit materiam, sicut potentia materiæ ad formam est reducta ad actum, ita per vim sive virtutem ejusdem est materia transmutata ad distinctionem et terminationem totius et partium. In forma enim substantiali non solum est vis perfectiva materiæ, sed distinctiva totius per partes. Et huic est necesse respondere potentiam a parte materiæ, quæ respiciat et ipsam perfectionem suam per formam, et etiam partium sequentem diversitatem. » — Hæc ille. — Conceditur tamen quod forma substantialis, potissime forma totius, sicut est lapideitas, vel ligneitas, est tota, aliqua totalitate, sub qualibet parte quantitatis. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 10, q. 1, art. 3, in solutione tertiæ quæstiunculæ, sic dicit: « Forma quiescens absolute in subjecto, aut est consequens quantitatem, sicut albedo, quæ fundatur in superficie; aut est præcedens quantitatem, sicut forma substantialis. Si primo modo, de necessitate est tota in toto, et pars in parte, ante fractionem et post. Si autem est præcedens quantitatem, est tota in toto, et tota in partibus, ante fractionem et post: sicut tota forma substantialis ligni est in qualibet parte ejus; quia totalitas formæ substantialis non respicit totalitatem quantitatis, sicut est de totalitate formarum accidentalium, quæ fundantur in quanti-



tate, et præsupponunt ipsam. » — Hæc ille. — Simile ponit; 3 p., q. 76, art. 3: « Manifestum est, inquit, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris; et hoc indifferenter, sive dimensiones fuerint actu divise (sicut cum aer dividitur, vel panis), vel etiam sint actu indivisæ, divisibiles vero potentia. » — Hæc ille. — Simile ponit; 4 p., q. 76, art. 8. — Sciendum etiam quod partes materiæ individuales, vel partes integrales signatæ, non sunt partes speciei, sed compositi et individui sub natura speciei. Et de hoc sanctus Thomas, super Boetium, *de Trinitate*, in illa questione qua querit, *Utrum mathematica consideratio sit sine materia* (q. 5, art. 3), de his quæ habent esse in materia sic dicit: « Totum non a quibuslibet partibus potest abstrahi. Sunt enim quædam partes, a quibus dependet ratio totius: quando scilicet hoc est esse tali toti quod est ex talibus partibus componi; sicut se habet syllaba ad litteram, et mixtum ad elementa. Et tales partes dicuntur partes speciei, et formæ, sine quibus totum non potest intelligi, cum ponantur in ejus diffinitione. Quædam vero partes sunt, quæ accidunt toti, inquantum hujusmodi: sicut semicirculus se habet ad circulum; accidit enim circulo quod sumantur per divisionem duæ ejus partes æquales, vel inæquales, vel plures; non autem accidit triangulo quod in eo designentur tres lineæ, quia ex hoc triangulus est triangulus. Similiter etiam per se competit homini quod in eo inveniantur anima rationalis et corpus compositum ex quatuor elementis. Unde sine his partibus homo intelligi non potest. Et has oportet poni in diffinitione hominis. Unde sunt partes speciei et formæ. Sed digitus, pes, et manus, et hujusmodi partes, sunt præter intellectum hominis. Unde ex illis ratio essentialis hominis non dependet. Unde sine his intelligi potest: sive enim habeat pedes, sive non, dummodo ponatur conjunctus (α) ex anima rationali et corpore composito ex quatuor elementis, propria commixtione quam requirit talis forma, est homo. Et hæc partes dicuntur (β) partes materiæ, quæ non ponuntur in diffinitione totius, sed magis e converso. Et hoc modo se habent ad hominem omnes partes signatæ, sicut hæc anima, hoc corpus, et hoc os, et hujusmodi. Hæc enim partes sunt partes quidem Socratis et Platonis, non tamen hominis inquantum est homo. » — Hæc ille. — Simile dicit, 7. *Metaphysicæ* (lect. 9), in illo capit., *Quoniam vero diffinitio ratio est*, etc.; et (lect. 10), capit. sequenti, quod incipit, *Dictum est ergo*, etc. — Ex quibus omnibus apparet: primo, quod manifeste falsum est substantiam quantitati subjectam non habere alias partes præter partes

quantitatis; secundo, quod forma substantialis est tota in toto, et tota in qualibet parte; tertio, quod essentia, vel natura specifica, non habet partes integrales, nec partes materiæ signatas, sic quod ad ipsam per se primo pertineant, licet sine illis esse non possit; quarto, quod individuum materiale per se ex talibus partibus constituitur. Verumtamen sanum intellectum hujus, quomodo scilicet forma substantialis, quæ dicitur forma totius, vel forma partis, est tota in toto, et tota in qualibet parte, et qua totalitate, require 1 p., q. 76, art. 8; item, 2. *Contra Gentiles*, cap. 72; item, *de Anima*, q. 10; et *de Spiritualibus creaturis*, q. 4; et multis aliis locis.

Ulterius dicitur quod, posito, sed non concesso, quod substantia panis sub quantitate hostiæ non haberet partes alias a partibus quantitatis, adhuc probatio minoris non valet. Nam, sicut dicit Petrus de Palude (dist. 13, q. 4), « licet divisio requirat quantitatem quoad principium, non tamen quoad terminum; sicut corruptio requirit ens pro termino a quo, non pro termino ad quem. Non enim potest Deus dividere non quantum; sed bene potest dividere quantum in non quantum, immo in non entia, quia dividendo potest annullare (α) utramque partem, vel alteram. Et quando natura resolvit compositum in quatuor elementa, licet distinctio generatorum sit propter divisionem quantitatis manentis, tamen divisio corrupti, puta quod hæc pars convertatur in istud elementum, et alia in illud, non est propter quantitatem quæ maneat, sed propter illam quæ corrumpitur. Quia enim invenit quantum illud quod corrumpit, ideo potest divisim corrumpere. Quod autem corrumpit cum substantia quantitatem, hoc est quia aliter non potest attingere substantiam. Deus ergo, qui potest immediate attingere substantiam, non quidem per divisionem partium, quæ non sunt, sed per multiplicationem, potest convertere substantiam prout stat sub hac parte, non prout sub illa. Et similiter, quando sine corruptione quantitatis, albedo, vel alia qualitas, in una parte corrumpitur, non potest dici quod pars sit corrupta et pars incorrupta, cum non sit ibi pars nisi in quantitate. Unde contradictio est dicere quod substantia, vel qualitas, non habeat partibilitatem nisi illam quæ est quantitatis, et, illa non tacta, dicatur substantia vel qualitas partita, sive in partes manentes, sive non manentes. — Nec valet prima ratio quæ adducebatur. Quia, licet substantia non habeat partibilitatem formalem nisi quantitatem, tamen, inquantum substantia panis stat formaliter sub ista parte quantitatis, ipsa est distincta situ a substantia quæ stat sub alia parte. Unde, cum prius attingatur a convertente et separante quam desinat esse formaliter quanta, videtur quod hoc sufficiat

(α) dummodo ponatur conjunctus. — dum ponatur Pr.  
(β) partes dicuntur. — dicuntur tales Pr.

(α) annullare. — adjuvare Pr.

ad hoc quod partialiter possit converti. Posset enim Deus, retenta integra quantitate, annihilare substantiam prout stat sub ista parte, et retinere prout stat sub alia; et, pari ratione, potest convertere. »

— Hæc Petrus; et bene quoad hoc quod ostendit conclusionem non valere; male autem quoad hoc quod videtur concedere antecedens superius improbatum, scilicet quod eadem omnino substantia individua, sit sub diversis partibus quantitatis tota. Ex hoc enim sequitur quod sit circumscriptive in diversis locis et sibus, et quod eadem numero substantia potest esse conversa et non conversa, annihilata et actu existens, simul et semel, non quidem secundum diversas partes ejusdem substantiæ, sed secundum se totam, et secundum quodlibet sibi intrinsicum substantiale; et multa alia falsa.

Ad secundam rationem, respondet Petrus (ibid.), quod « unum potest fieri multa sine divisione unius quantitatis in duas, cum illa multa habent quantitates distinctas: sicut Deus de una substantia ignis, manente quantitate, vel annihilata, et non divisa, posset facere duas aquas; et de uno mixto corrupto, non diviso, possunt generari quatuor elementa; quia, si natura potest facere, quantitate corrupta, non divisa, Deus posset hoc facere, quantitate servata integra. — Solutio autem Durandi, qua dicit quod divisio in partes manentes non est sine divisione quantitatis, sed in partes non manentes, sic non valet. Quia nihil dividitur realiter, nec in manentia, nec non manentia, nisi quantum. Et non potest de illo fieri conversio, de quo non potest fieri generatio. Unde, si de substantia panis, quantitate non divisa, non potest fieri generatio, sic quod aliquid de substantia maneat sub prima quantitate, et aliud sub nova; pari ratione, nec conversio. Unde dicendum est quod non est proprie divisio. Nam unum lignum, quandiu est quantum, potest dividi in duo ligna; et illud idem, separata quantitate, posset fieri duo ligna per generationem, non per divisionem. Et sic est hic: quia, licet quantitas corporis conversi maneat integra, est tamen divisa, quantitate corporis Christi, in quod est conversa; unde substantia panis, prout stat sub una parte suæ quantitatis, convertetur in aliud quantum, quod est corpus Christi; et ipsa eadem, prout stabat sub alia parte quantitatis, sub eadem remanebit. — Præterea, secundum quod dicit Durandus, eadem est ratio de substantia et qualitate quoad extensionem. Unde, cum ad sensum appareat quod, adhibito igne ad aquam ex una parte, ex una parte corrumpitur frigiditas per calorem, et manet adhuc in parte opposita aquæ, non divisa nec corrupta quantitate aquæ in parte, nec in toto; sic Deus potest substantiam pro parte convertere, et pro parte non, quantitate non divisa, nec corrupta, nec conversa. Si dicatur, Ergo est alia pars substantiæ a parte quantitatis, non sequitur: quia non proprie dici-

tur quod pars substantiæ convertatur, et pars maneat; sed una et eadem substantia, secundum quod substatur uni parti, convertitur, et secundum quod substatur alii, manet. Sed in his que sunt actu distincta, sicut sunt duo ligna divisa, bene verum est quod habent alietatem et diversitatem aliam a diversitate quantitatis; quia illa partialitas non est essentialiter quantitas, sed est per quantitatem, sicut per causam in fieri, et sine qua non. Unde quando quantum lignum dividitur, due sunt multiplicationes, sed est una divisio: ita quod quantitas quidem dividitur et multiplicatur, sed substantia per se formaliter et essentialiter multiplicatur, sed non dividitur, nisi quia est subjectum ejus quod dividitur. » — Hæc Petrus; et bene quoad aliqua; male autem quoad illud falsum fundamentum quod supponit concorditer cum Durando, scilicet quod substantia non habeat alias partes a partibus quantitatis. Hoc enim est dicere quod partes substantiæ non sunt substantiæ, sed accidentia, et quod substantiæ componatur ex non substantiis; item, quod eadem substantia corporea, secundum se totam, naturaliter est in diversis locis et sibus, ut prius dictum est. Similiter, falsum est quod sola quantitas dividatur, et non substantia, nec qualitas. Rursus, falsum est quod eadem substantia multiplicatur in diversas partes, nullo sibi addito, vel ab ea remoto, quod esset sibi intrinsicum per modum partis, sed solum per divisionem quantitatis sibi inherens. Concedendo namque talem multiplicationem, posset dici quod per divinam potentiam ex substantia pugilli aeris posset fieri tantus aer quantum est totum elementum aeris, sine additione materie, et sine aliqua rarefactione; immo quod materia fabæ occuparet tantum spatium quantum est spatium totius mundi, et quod illa materia posset fieri tota sphaera generabilium et corruptibilium. — Et ideo aliter potest dici breviter: scilicet quod antecedens, vel major hujus argumenti est falsa, scilicet quod unum non possit fieri multa sine divisione quantitatis. Potest namque unum fieri multa sine divisione quantitatis, quando illud unum habet multas partes in potentia, sub diversis partibus quantitatis; potissime per divinam potentiam, que potest attingere immediate substantiam quantitati subjectam, convertendo vel corrumpendo vel dividendo, non dividendo nec convertendo nec corrumpendo quantitatem. Sic autem est in proposito. Nec hoc est contra definitionem quantitatis: quia substantia, si dividitur, est quanta; et per quantitatem habet plures partes, non quidem actu divisa, sed potentia, sicut et quantitas sibi inherens. Præterea, sicut arguens dicit, in tali casu non est proprie divisio, sed alius modus actionis vel passionis. Et multis aliis modis instari potest contra argumentum.

Ad illud vero quod in fine dicitur, de signatione

medietatis hostiæ, etc.; — dicitur primo, quod hostia in qua sunt lineæ et circulus, potest signari faciliter: puta quod sacerdos vult consecrare illud quod est infra circulum, et nihil aliud, et e converso. Et sic erit facile. Et tunc pars consecratur. — Dicitur secundo, quod, « si sensu non signetur, dum tamen intellectu signetur, idem sequitur: puta si de hostia plana intendat consecrare solam medietatem que est ex parte sua, et non aliam, vel aliquid hujusmodi. Cum enim cæcus possit consecrare, et similiter videns hostias superpositas aliis (α) quas non videt, nihil facit signatio; nec demonstratio ad sensum, dum tamen sit in presentia: quia ibi concurrunt materia (cum quaelibet pars panis et vini sit panis et vinum), et forma, et intentio determinata secundum intellectum, etsi non secundum sensum, cum intentio sit actus partis intellectivæ, non sensitivæ. Et quamvis alias determinatio intellectus sit secundum determinationem sensus, hic tamen non oportet quod sit signatio certæ partis secundum sensum: quia nec per visum, cum cæcus possit consecrare; nec per tactum, cum sine tactu etiam mancus possit conficere; nec per imaginationem, aut alium sensum: quia indivisibile, secundum quod hujusmodi, non est sensu perceptibile; illud autem quo una pars continui ab alia distinguitur, secundum quod hujusmodi est, est indivisibile, sicut lineæ, que secundum latitudinem est indivisibilis (β), unam partem superficiæ dividit ab alia. Quod autem dicitur magnitudo esse unum de sensibilibus communibus, verum est in quantum magnitudo est divisibilis, non in quantum indivisibilis. Unde sufficit signatio (γ) secundum intellectum: quia intellectus hujusmodi indivisibile apprehendere potest; quod non potest sensus. » — Hæc Petrus; et bene: quia etiam dum consecrans panem dicit, *Hoc est corpus meum*. Iy hoc non demonstrat ipsa accidentia sensibilia, sed substantiam sub accidentibus contentam; et consequenter demonstrat aliquid intelligibile, et non sensibile sensu exteriori, ut dicit sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art. 5, in solutione secundi.

Et hoc sufficit ad argumenta contra primam conclusionem in primo sensu intellectam.

Ad argumenta contra eandem conclusionem intellectam secundo modo, — dicitur primo, quod, licet Apostoli non concelebraverint Christo in cœna, tamen omnes communicaverunt de manu ejus, et potestatem celebrandi et consecrandi Eucharistiam acceperunt. Et quia presbyteri in sua ordinatione in eodem gradu et potestate instituuntur, ideo, ad hoc perfecte representandum, non solum communicant, Episcopo communicante, immo concelebrant

(α) *superpositas aliis*. — *aliis superpositas* Pr.

(β) *indivisibilis*. — *divisibilis* Pr.

(γ) *signatio*. — *Om.* Pr.

et consecrant, Episcopo consecrante, secundum morem aliquarum Ecclesiarum. Causa autem quare Apostoli tunc non consecraverunt, Christo consecrante, potuit esse multiplex: ut puta ut ostenderetur institutio hujus sacramenti ad solum Christum pertinere; et quia adhuc erant inexperti circa celebrationem, nec erant sufficientes et idonei ad consecrandum, usque post ascensionem Christi et adventum Spiritus Sancti. Causa autem quare presbyteri in sua ordinatione Episcopo concelebrant, ostendit Innocentius, *de Officio Missæ*, lib. 4, cap. 25: *Consueverunt, inquit, Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, et cum eo pariter celebrare, cumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem accipere, significantes Apostolos, qui, cum Domino pariter discumbentes, sacram de manu ejus Eucharistiam acceperunt. Et in eo quod ipsi concelebrant, ostendunt Apostolos tunc a Domino hujusmodi ritum sacrificii didicisse*. — Hæc ille. — De hoc Petrus de Palude (dist. 13, q. 4): « Quando, inquit, dicit arguens, quod non consecraverunt Apostoli, verum dicit; tamen communicaverunt carni et sanguini, et dictum est eis: *Hoc facite in meam commemorationem*. In cujus representationem, presbyteri, in sua ordinatione, communicant et concelebrant. Sed bene verum est quod istud nullam habet necessitatem: quia magis representaretur quod factum fuit in cœna, si ordinarentur et communicarent tantum et non celebrarent, sicut tunc de Apostolis factum est, quam si plus. Nec Thomas inducit hoc pro causa necessaria: quia tunc Ecclesiæ hoc non facientes, peccarent; quia deberent se conformare Christo in dispensatione sacramentorum, nisi quoad ea in quibus est contraria ratio in Christo et in nobis, sicut celebrando post cœnam. » — Hæc Petrus; et bene; nisi quoad hoc quod dicit: Si presbyteri in sua ordinatione non concelebrarent, magis representarent quod tunc factum fuit. Hoc enim falsum est, ut patet per Innocentium: quia, licet hoc factum similis esset alteri quoad exteriora, tamen non perfecte representaret interiora facta tunc, puta collationem spiritualis potestatis celebrandi, quæ nunc representatur dum concelebrant.

Dicitur secundo, quod illud quod arguens dicit de consuetudine Ecclesiarum, etc., non valet. Quia, sicut dicit Petrus de Palude (ibid.), « magis est credendum Innocentio quam arguenti. Sed in hoc verum dicit, quod, si residuum canonis diceretur, et sola verba formæ omitterentur, nihil consecrarent; sicut est de catechismo et exorcismo respectu formæ baptismi. Et quod dicit, quod illa consuetudo est corruptela, quia non debet exequi ea quæ sunt ordinis, quousque sua ordinatio sit completa; — dicendum quod regulariter exequi non debet, sed in casu, et dispensative, de consuetudine Eccle-

sie, quam Romana Ecclesia scit et dissimulat, immo Innocentius Papa approbat. Ex quo enim characterem sacerdotalem recipit, etiam si nihil adderetur, conficere potest, et debet, in casu ab Ecclesia concesso. Et sicut celebratur missa in consummatione consecrationis ecclesie, et consummatur dedicatio (α) in celebratione et terminatione missæ, sic et hic consuetudo Ecclesie excusat. Et quando mos erat, crimen non erat. Unde, si nunc dicat verba consecrationis, excusatur, si talis est mos illius Ecclesie, et Romana Ecclesia scit et non reprobatur. » — Hæc Petrus, et bene.

Dicitur tertio, quod, licet in tali celebratione et ordinatione quidam proferant simul cum Episcopo, quidam prius vel post, hoc non obstat. Unde Innocentius, ubi supra, sic dicit: *Cum autem interdum uni Pontifici multi sacerdotes concelebrant, si forte non omnes simul verba consecrationis pronuntient, an (β) solus ille conficiat, qui primus pronuntiat? Quid ergo ceteri faciunt? An iterant sacramenta? Poterit ergo contingere quod ille non conficit, qui principaliter celebrat, et ille conficiet, qui secundario celebrabit; et sic pia celebrantis intentio defraudabitur? Sane dici potest, et probabiliter responderi, quod, sive prius, sive posterius proferant sacerdotes, referri debet eorum intentio ad instans prolationis Episcopi, cui principaliter celebranti assistunt; et tunc omnes simul consecrant et conficiunt.* — Hæc Innocentius, in forma. — Et cum arguens arguit contra hoc, respondet Petrus de Palude (ibid.): « Quod, inquit, dicit arguens, quod impossibile est consecrare simul plures, si in diversis temporibus verba proferant, sine dubio difficile est; quia, ut dicit, intentio consecrantis non potest anticipare aut retardare effectum verborum, quin in ultimo instanti habeant effectum, vel nunquam. Sed dicendum est quod omnia quæ sunt de essentia alicujus effectus, oportet simul concurrere. Sed, cum principale agens in sacramentis sit virtus divina, quæ ex voluntate agit, sic sufficit ad verum sacramentum, ea quæ aliquid agunt, ad illud concurrere sicut Deus vult. Quia ergo Ecclesia regitur a Spiritu Sancto, supponimus consuetudines ab Ecclesia approbatas, esse conformes divinæ voluntati. Quia ergo omnes simul consecrantes intentionem suam ordinant ad horam prolationis principalis, licet aliqui prius, aliqui posterius proferant, tunc tamen est effectus ex divina ordinatione; quamvis alias, secundum communem cursum, intentio non posset anticipare vel retardare. Hoc tamen est verum, quod primus qui verba profert, non consecrat ante alios, si hoc non intendat. Unde, si homo proferret verba consecrationis, intentione non consecrandi,

nihil consecraret. Ergo, si proferat cum intentione non tunc consecrandi, tunc non consecrat. Sed ubi est virtus qua postea consecratur? Potest dici quod illa virtus manet subjective in aere subjecto vocis quæ transit, Dei virtute eam conservante quousque omnia sint completa. Item, sicut Spiritus Sanctus in primitiva Ecclesia diversas formas baptismi ordinavit, propter diversas causas, sic ordinare potuit diversas formas, in talibus Ecclesiis ubi sunt tales ritus; sicut aliter consecrant græci, et aliter latini. In illo igitur ritu quo plures celebrant, cum ultimus compleverit, omnes habent suum effectum: ita quod tandiu manet in aere virtus præcedens, quousque veniat virtus sequens, non ex intentione dicentis solum, sed ex virtute divina, virtutem illam producente et conservante. Certum est enim quod hic oportet aliquid de communi cursu mutari, scilicet quod verba habeant effectum vel postquam prolata sunt, quantum ad illos qui prius complent, vel antequam sint prolata, quantum ad illos qui postea proferunt, nisi omnium intentio feratur ad instans quo ultimus profert. Si autem non omnes consecrant, sed tantum unus, non ideo esset dicendum quod solus ille consecret, qui primus verba profert, cum hoc non intendat; sed vel Episcopus, vel ultimus; nisi diceretur quod quilibet intendit consecrare, verba suâ dicendo vel complendo, sed non intendit complere nisi simul cum Episcopo vel cum (α) ultimo; tunc verisimile est quod dicit, quod solus qui primo protulit, conficit. » — Hæc Petrus, et bene.

Dicitur quarto, quod hæc solutio Petri non sufficienter impugnatur a Durando. Non enim est fictitium, nec derisorium, dicere quod Spiritus Sanctus regens Ecclesiam, et dirigens in suis ritibus sacramentalibus, singulariter miraculose operetur in singularibus ritibus et consecrationibus sacramentorum; sicut est illud in quo plures sacerdotes concelebrant, et eandem materiam panis et vini ex ejus instinctu consecrant. Nemini enim dubium esse debet, Ecclesiam Romanam talem consuetudinem nec invenisse, nec observasse, nec tolerasse aut approbasse, sine speciali consilio Spiritus Sancti. Modo nil mirum ergo si Spiritus Sanctus in hac singulari consecratione aliquid singulare operetur: puta quod virtus instrumentalis consecrativa verborum sacramentalium transeat de subjecto in subjectum; vel remaneat sine subjecto, deficiente proprio subjecto, puta voce; vel habeat effectum postquam desiit esse, vel antequam sit. Hoc enim non est novum, nec inconveniens de causa efficiente instrumentali. Quod patet in simili: nam passio Christi, per virtutem instrumentalem in se existentem, habuit effectum in prædestinatis præcedentibus Christi passionem, et in sequentibus, sicut ponit

(α) *dedicatio.* — Om. Pr.

(β) *an.* — quia an Pr.

(α) *cum.* — Om. Pr.

sanctus Thomas, 3 p., q. 48, art. 6, ubi arguit sic (arg. 2): « Nullum agens corporale agit nisi per contactum; unde et Christus tangendo mundavit leprosum, ut ostenderet carnem suam salutiferam habere virtutem, sicut dicit Chrysostomus (Hom. 26 in Matth.). Sed passio Christi non potuit contingere omnes homines. Ergo non potuit efficienter operari omnium hominum salutem. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod passio Christi, licet sit corporalis, habet tamen virtutem spiritualem ex divinitate unita; et ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur, scilicet per fidem et fidei sacramenta, etc. » — Hæc ille. — Similiter, q. 62, art. 5, ostendit quod « sacramenta Ecclesie specialiter habent virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodammodo copulatur per susceptionem sacramentorum; in cujus signum de latere Christi pendentes in cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta. » Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit: « Per fidem Christus habitat in nobis. Et ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Et quia virtus remissiva peccatorum, speciali quodam modo pertinet ad passionem ipsius, ideo per fidem passionis ejus specialiter homines liberantur a peccatis; et virtus sacramentorum, quæ ordinatur ad tollendum peccata, præcipue est ex fide passionis Christi. » — Hæc ille. — Item, q. 78, art. 5, sic dicit: « Sicut ex contactu carnis mundissime Christi vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas quæ Christum tetigerunt, sed ad omnes ubicumque terrarum per omnia futura sæcula; ita etiam, ex prolatione ipsius Christi, hæc verba consecrationis Eucharistie virtutem consecrativam sunt consecuta, a quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. » — Hæc ille. — Ex quibus habentur duo. Primum est, quod virtus instrumentalis potest habere effectum antequam illa virtus sit, et postquam desiit esse, dum tamen copuletur passo, et contingat illud modo spirituali, puta per fidem. Secundum est, quod, sicut si Deus potest anticipare effectum virtutis, vel retardare effectum virtutis passionis Christi in hominibus, vel in sacramentis, non apparet inconveniens quod intentio consecrantis et concelebrantis Episcopo, ex fide Ecclesie procedens, et a Spiritu Sancto regulata, possit anticipare vel retardare effectum consecrationis, potissime ubi Deus est principale agens, quod potest uti virtute instrumentali verborum sicut vult, sicut utitur virtute passionis in prædestinatos præcedentes, et sequentes, et concomitantes passionem Christi. De hoc sanctus Thomas, prima distinctione *Quarti*, q. 1, art. 4, in solutione tertie quaestionculæ, sic dicit: « Instrumentum virtutem non recipit nisi secundum quod agenti principali continuatur, ut virtus ejus quodammodo in instrumentum transfundatur.

Principale autem et per se agens ad justificationem est Deus, sicut causa efficiens, et passio Christi, sicut meritoria. Huic autem cause continuatur sacramentum per fidem Ecclesie, quæ instrumentum refert ad principalem causam, et signum ad signatum. Et ideo efficacia vel virtus sacramentorum est ex tribus: scilicet ex institutione divina, sicut ex principali causa agente; ex passione Christi, sicut ex prima causa meritoria; ex fide Ecclesie, sicut ex continuante instrumentum principali agenti. »

Dicitur quinto, quod, ut prædictum fuit, cum Innocentius fuerit Papa, melius scivit consuetudines Romane Ecclesie quam arguens. Nec est credendum quod Ecclesia Romana unquam observaverit consuetudines aut ritus in celebratione Eucharistie, vel aliorum sacramentorum, irrationabiles, aut periculosos, qui deberent dici corruptelæ. Utrum autem illa consuetudo nunc observetur in Ecclesia Romana, nescio. Constat tamen quod tempore Innocentii, et multorum Summorum Pontificum, tam præcedentium quam sequentium, servata fuit; et in multis Ecclesiis, tempore sancti Thomæ, servabatur, ut ipse testatur. — Ad ea vero quæ dicunt contra Innocentium et Ecclesiam Romanam, non oportet respondere, quia temere et detractorie dicta sunt.

Dicitur sexto, quod secundus modus quem arguens ponit, insufficiens est. « Cum enim dicit quod, si virtus divina sit assistens, et non ponatur aliqua virtus instrumentalis, tunc ipsa potest per unum et per plures, sicut sibi placet; — hoc enim bene verum est; sed tunc non debet distinguí utrum simul an successive proferant: quia sicut Deus potest agere indifferenter cum uno et cum pluribus, ita cum pluribus simul et non simul; quia semper sunt causa *sine qua non*. Posset enim Deus ordinare quod non fieret conversio, nisi duo vel tres proferrent verba, unus post alium. » — Hæc Petrus, et bene.

Dicitur septimo, quod, cum arguens dicit, in alio proposito, quod si virtus consecrandi sit inherens subjective verbis, impossibile est quod plures simul consecrent, etiam si verba simul compleant, quia ab agentibus naturalibus simul concurrentibus non procedit effectus nisi intensior; — « dicendum est quod, licet intentio sit voluntaria, et actio sacramentorum necessaria, sicut si duo voluntarie (x) applicarent ignem qui necessario combureret, tamen si passum non esset natum suscipere plus ab uno quam a duobus, vel effectus esset non intensibilis, nihilominus a duobus sequeretur idem effectus qui ab uno (non enim plus ab uno quam ab alio, cum sit æqualis ratio; nec a neutro, cum quodlibet sit sufficienter approximatum et dispositum, nec unum impedit, sed juvat aliud); et ita est in proposito. Unde ab utroque erit consecratio; non tamen major

(x) *voluntarie*. — Om. Pr.

nec minor quam ab uno. Et probatur per rationem suam: quia, concurrentibus omnibus necessariis ad sacramentum, sequitur sacramentum; sed hic sunt omnia necessaria respectu utriusque agentis, scilicet materia et forma et intentio; ergo, etc. » — Hæc Petrus, et bene.

Et hæc sufficiant ad argumenta contra primam conclusionem inducta.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**Ad argumenta Durandi.** — Ad argumenta contra secundam conclusionem inducta, nunc dicendum est. Et primo, ad ea quæ primo loco inducuntur, scilicet de mixtione liquoris alterius speciei.

Et quidem, ad probationem primæ conclusionis ibidem introductæ, scilicet quando liquor additus alterius speciei est majoris virtutis, etc.; — dicitur primo, quod, quidquid sit de conclusione, tamen probatio ejus non valet; quia assumit falsum, scilicet quod, desinentibus qualitatibus, manente quantitate, desinit illi esse corpus Christi, vel sanguis. Nec probationes ad hoc inductæ concludunt. Non quidem prima. Unde, respondendo ad illud argumentum, sic dicit Petrus (dist. 12, q. 5): « Si qualitates, manente quantitate, sic corrumpantur quod non remaneret similitudo nec rei contentæ nec rei conversæ, tunc desineret ibi esse corpus Christi et sanguis; sicut quando de speciebus fit aqua, vel acetum. Sed, si maneat similitudo rei contentæ, id est, corporis vel sanguinis Christi, quamvis non rei conversæ (ut quando fit sub specie (α) carnis, aut sanguinis, aut pueri), manet ibi corpus Christi. Immo, supposita communi opinione, quod corpus Christi sit in loco conversæ substantiæ in se, cum absentia illius substantiæ sit causa presentiæ corporis Christi, quamdiu remanet ibi vel tota quantitas, vel pars, sine subjecto, quantumcumque omnes qualitates sint corruptæ, manet ibi corpus et sanguis Christi. E converso autem, quam cito incipit sub speciebus fieri nova substantia, quantumcumque alia omnia manerent, incipit ibi, ubi est substantia, desinere esse corpus Christi et sanguis. Et ideo illa propositio de representatione specierum, quæ dicit quod species vini pertinet ad sacramentum quatenus representat substantiam vini, etc., falsa est: quia species non pertinet ad sacramentum per hoc quod representat rem conversam, sed magis per hoc quod representat rem contentam; unde, hac similitudine manente, manet sacramentum. » — Hæc Petrus, et bene, præter hoc quod supponere vel concedere videtur quod quando ex vino fit aqua, vel acetum, corrumpantur omnes qualitates vini et remaneat eadem quantitas

(α) sub specie. — substantia Pr.

in generato et corrupto. Hoc enim falsum est: quia, corrupta substantia, corrumpitur ejus quantitas, et quodlibet ejus accidens, ut ipse postea dicit. — Ad secundam probationem, dicit quod « ubi similitudo rei contentæ deficeret, sacramentum non esset, quia tunc etiam separatio a subjecto deficeret. Corruptis enim qualitatibus corporalibus, et quantitas corrumpitur, et alia substantia et alia accidentia generantur. Sed, si, corrupta similitudine, remaneret quantitas sine subjecto, ut prius, adhuc remaneret ibi sacramentum. Si ergo similitudo rei contentæ remaneat, sufficit. Et de ista concludunt rationes. Dato etiam quod non remaneret similitudo rei contentæ, nec alicujus alterius, et nulla etiam qualitas remaneret, si tamen quantitas ibi remaneret, Christi (α) sanguis ibi remaneret: quia tamdiu remanet ibi sanguis Christi sacramentaliter, quamdiu ibi mansisset substantia vini localiter, si conversa non fuisset; sed illa mansisset semper cum quantitate sua, omnibus aliis corruptis; alias, substantia corrupta, posset quantitas non corrumpi; igitur, etc. Cum autem probatur quod sacramentum corrumpitur per solam corruptionem signi sensibilis et similitudinis, — dicendum quod aliquando plus requiritur ad rei factionem, quam ad rei factæ conservationem; sicut mollities requiritur in cera ad figure impressionem, non autem ad conservationem. Et similiter, verum est quod ratio signi et similitudinis magis attenditur secundum qualitates quam secundum quantitatem, immo quantitas sola nihil horum est. Sed hæc rationes, licet requirantur a principio ad hoc quod de non sacramento fiat sacramentum, tamen, ex quo semel factum est sacramentum, non desinit esse sacramentum, licet desinat esse signum. Vel, si desinat habere nomen sacramenti, non tamen desinit habere essentiam rei; sicut oleum congelatum, de quo non potest fieri unctio corporalis, nec per consequens signatio spiritualis, non propter hoc desinit esse consecratum; ita et hic ». — Hæc Petrus, et bene, concorditer sancto Thomæ. Unde, 3 p., q. 76, art. 8, ubi querit: Utrum corpus Christi desinat esse sub sacramento, quando ibi miraculose apparet caro, vel puer, sic dicit: « Dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro, aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, aut sanguinem, vel puerum, nulla transmutatione facta ex parte sacramenti, etc. Quandoque etiam contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed specie, quæ videtur exterius, realiter existente. Et dicendum quod, tunc manentibus dimensionibus quæ prius fuerunt, fit miraculose

(α) Christi. — corpus et Pr.



quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram, et colorem, et alia hujusmodi, ut videatur caro, aut sanguis, aut puer. Et hoc non est deceptio: quia in figura ejusdem veritatis (α) contingit, scilicet ad ostendendum per hanc apparitionem, quod in hoc sacramento est vere corpus et sanguis Christi. Et sic patet quod, remanentibus dimensionibus, quæ sunt fundamenta aliorum accidentium, remanet verum corpus Christi in hoc sacramento. » — Hæc ille. — Item, ibidem, arguit sic (arg. 1): « Corpus Christi desinit esse in sacramento, quando desinunt species sacramentales. Sed quando apparet caro, vel puer, desinunt esse species sacramentales. Ergo, etc. » Ecce argumentum. Sequitur responsio. « Dicendum quod, facta tali apparitione, species sacramentales quandoque quidem manent totaliter in seipsis, quandoque autem secundum illud quod est potissimum in eis, scilicet quantum ad dimensiones. » — Hæc ille. — Simile ponit, 4. *Sentent.*, dist. 10, q. 1, art. 4, q<sup>la</sup> 2, in solutione primi: « In tali casu, inquit, adhuc species panis manent, quantum ad dimensiones quæ prius subsistebant et principales erant in sacramento; quamvis color et alia hujusmodi non maneant, divina virtute hoc faciente. » Et ideo sub illis dimensionibus adhuc manet corpus Christi. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod, cum divina virtute qualitates sensibiles Eucharistiæ destruuntur, dum tamen maneant dimensiones panis aut vini, non ideo desinit ibi esse corpus Christi, nec ratio sacramenti.

Dicitur secundo principaliter ad conclusionem primam Durandi et secundam simul, quod in aliquibus casibus habent veritatem, et in aliquibus non. Unde Petrus (ibid.) loquens de opinione sancti Thomæ et Durandi simul: « Possunt, inquit, hæc duæ opiniones sic concordari. Quia talis liquor potest addi speciebus differens specie, qui non est penetrabilis ab eis, nec penetrativus; sicut si oleum addatur, quod natum est aliis liquoribus non misceri, sed supernatare. Aliquando autem liquor additus et præcedens sunt ad invicem penetrabiles, sed, propter spissitudinem et compactionem alterius, per talem mixtionem nullus liquor potest sic dividi, quin quælibet pars remaneat ita magna quod in ea nata est salvari forma totius; sicut esset de cervisia, et quibusdam vinis (β) grossissimis ad instar sanguinis canis. Aliquando autem, etsi sint liquores invicem commixtibilis et divisibiles usque ad talia minima in quibus species salvari non possunt, ista tamen tanta (γ) divisio fit tarde, et non statim. In istis vero omnibus est vera opinio Durandi. Quia in talibus non fit corruptio per divisionem; ergo aut non fit ibi aliqua corruptio, aut fit per actionem

virtutis contraria. Et quia virtus dominans corrumpit et non corrumpitur, inde est quod quando species vini sunt majoris virtutis quam liquor appositus, tunc corrumpunt illum. Vel, si nondum corrumpunt, tunc, antequam sit facta commixtio, non possunt corrumpi: quia nec ratione virtutis, quæ minor est; nec ratione divisionis, quæ aut non fit, si non subintrat, ut oleum, aut supponitur nondum facta. Et sic adhuc, ex parte specierum nulla facta corruptione, manet sanguis sub omnibus partibus, sicut prius. Si autem sint æqualis virtutis, quamvis non æqualis quantitatis, adhuc finaliter (α) generatur inde tertia species, et sic tunc totaliter desinit ibi esse sanguis Christi. Si autem liquor superadditus est majoris virtutis, tunc corrumpit et convertit in se species; et sic, pari ratione, desinit ibi esse sanguis Christi. — Si autem liquores sint ad invicem penetrabiles, et fiat divisio præexistentis usque ad minima, tunc locum habet opinio Thomæ distinguens de quantitate molis. Quia, si liquor additus est æqualis, vel major, facta perfecta commixtione, in minimas partes dividitur præexistens; et sic non manet aliqua particula non corrupta; quia vel convertitur in liquorem superadditum, si est majoris virtutis, vel in tertium uterque (δ). Si autem est minoris quantitatis, sicut se habet totum ad totum, sic pars ad partem; unde tunc, facta permixtione ad partes proportionatas, et illæ corrumpuntur (γ) per viam divisionis; et, per consequens, desinit ibi esse sanguis Christi; sive ex ipsis fiat vinum (δ), quando species prævalent in virtute; sive liquor additus, quando e converso; sive tertia species, quando sunt æqualis virtutis, licet inæqualis quantitatis. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad secundum ibidem adductum contra eandem partem conclusionis, dicitur, « concedendo majorem, et negando minorem. Ita enim corrumpitur particula vini per appositionem guttæ aquæ, sicut aliqua particula specierum. Sed sicut species convertunt guttam in vinum, novum generando, quod continuatur partibus præexistentibus, et posset converti in sanguinem, si dicerentur verba; ita gutta aquæ apposita vino ante consecrationem, corrumpit aliquam particulam vini, de qua cum gutta aquæ generatur vinum, et totum fit vinum unum continuum, quod totum per verba consecratur. Cum enim omne agens naturale compatiatur, quando minus de aqua apponitur vino, vel speciebus vini, propter aliqualem resistantiam aquæ, modicum quid de vino corrumpitur, vel de speciebus; et sic ex utroque fit generatio vini. Vel ista corruptio fit per divisionem (ε), ut postea dicitur. » — Hæc Petrus,

(α) veritatis. — virtutis Pr.

(β) vinis. — urinis Pr.

(γ) tanta. — causata Pr.

(α) finaliter. — faciliter Pr.

(δ) uterque. — utrumque Pr.

(γ) et illæ corrumpuntur. — vel corrumpitur Pr.

(δ) vinum. — unum Pr.

(ε) divisionem. — generationem Pr.



et bene; dum tamen semper intelligatur de liquoribus differentibus specie, natis ad invicem agere et mutuo se corrumpere et convertere; alias non haberet verum.

Ad argumenta secundo loco inducta contra eandem conclusionem, scilicet quoad illud quod dicit de liquoribus ejusdem speciei quoad substantiam et accidentia, ut est vinum de eodem dolio, — dicitur primo, quod conclusio Durandi, si generaliter et in omni casu intelligatur, videtur falsa et irrationalis: « Quia tunc, si gutta sanguinis projiciatur in dolium plenum vino ejusdem speciei, non desineret ibi esse sanguis Christi; quod videtur ridiculum. Unde videtur distinguendum, ut prius. Quia aut illud vinum est ita spissum quod non commiscetur speciebus per divisionem usque ad minima quæ per se non possunt salvari, vel tarde hoc fit; et antequam hoc factum sit, cum plures particule non sint corruptæ, nec per viam divisionis, quæ non in totum processit adhuc, nec per alterationem contrarie virtutis, quia sunt ejusdem rationis (z), sic verum dicit Durandus; quia tunc integre remanet in omnibus partibus sanguis Christi. Aut facta est commixtio usque ad talia minima; et tunc desinit ibi esse sanguis Christi, vel totaliter, si æqualis aut majoris quantitas sit vinum additum, vel particulariter, si minoris, ut dictum est. » — Hæc Petrus (dist. 12, q. 3), et bene.

Dicitur secundo, quod ~~et~~ Durandi non valet. « Licet enim nihil corrumpatur a suo simili per se, sed a suo contrario, sed tamen per accidens sic: quia quando fit divisio alicujus elementi vel mixti usque ad minimum quod est dare, divisione amplius facta, fit corruptio, undecumque fiat hæc divisio, sive per virtutem contrarii, sive per subintractionem similis. In illo vero quod permiscetur, sive corrumpatur, sive corrumpat (b), nunquam fit sanguis Christi: quia nunquam perdit materiam suam, vel formam, nisi corrumpatur; quando autem corrumpitur, retinet materiam, perdit autem primam formam substantialem, sed accipit novam; unde cum illa substantia, quæ nunquam fuit conversa in sanguinem, non stat sanguis. Sciendum autem quod in commixtione liquoris, sive æqualis, sive inæqualis virtutis, quando sunt divisibilia facilis subintractionis ad invicem, sæpius fit corruptio via divisionis quam via alterationis, quia virtus divisa debilior est quam unita. Unde quando non est notabilis excessus virtutis, vel est æqualitas, statim incipit divisio, et remittitur actio quæ erat per contactum vel per contrarietatem, ita quod citius partes corrumpuntur per divisionem sui, quam per actionem contrarii, ubi est contrarietas. Item, quando illud additum

est minoris quantitas, differens specie vel non, tunc in parte æquali, post factam divisionem, desinit esse sanguis Christi: non sic intelligendo quod sit una pars sola continua e regione sita isti conjuncta, in qua desinat esse sanguis; sed, sicut duo pugilli aquæ, vel unus aquæ et (z) alius vini, perfecte miscerentur, et totum illud corrumpetur, et generaretur aliquod tertium, sic gutta aquæ vel vini subintrat partem æqualem, et ad invicem fit mixtio et divisio in diversis partibus vel in uno, et totum corrumpitur, et una forma in particulis conjunctis inducitur, et per creationem vel reparationem vel conversionem essentie materie proportionaliter superadditur, et ibi desinit esse sanguis. Et si dicatur quod immo in omnibus desinit: quia tantum extenditur substantia quantum sua quantitas; et, cum sit una quantitas numero specierum manentium et substantiæ generate ex parte addita et parte (c) præexistentis corrupta, ergo sub utraque substantia illa extenditur, et per consequens desinit ibi esse sanguis; — dicendum quod substantia tantum extenditur quantum sua quantitas quæ est per se sua, non autem quantum illa quæ est per accidens sua, scilicet quæ per accidens est facta una continua cum illa quæ erat sua. Sicut si Deus duas aquas sic conjungeret, quod una non subintraret aliam, per juxtapositionem, fieret unum continuum, nec tamen esset una aqua affecta quantitate alterius; sicut nec pes afficitur quantitate manus, quamvis continuentur. Ita et hic: pars præexistens manet sine subjecto; addita tamen substantia habet quantitatis partem; quamvis sit difficile imaginari, cum substantia se extendat quousque terminetur quantitate, et quantitas ubi non est terminata non possit terminare, cum quantitas continua non habeat terminum in medio, qui terminet ibi substantiam. » — Hæc Petrus, et bene, et conformiter sancto Thoma in *quæstionibus*, præter hoc quod videtur negare substantiam habere alias partes a partibus quantitatis, et ponere substantiam materialem secundum se totam esse sub qualibet parte quantitatis suæ. Falsum etiam est quod quantitas continua non habeat terminum in sui medio, actu vel potentia; ~~cum~~ de ratione quantitatis continue sit habere terminum communem, ad quem partes ejus copulentur. Falsum etiam est quod quælibet pars substantiæ tantum extendatur quantum extenditur totius substantiæ quantitas cujus est pars. Et multa alia descendunt ex illo falso principio in primæ conclusionis objectionibus recitata et reprobata.

Ex prædictis patet responsio ad omnia dicta Durandi secundo loco inducta contra secundam conclusionem. Nam *primum argumentum* fundatur in falso, scilicet quod simile nunquam corrumpat

(z) et. — Ad. Pr.

(b) corrumpatur, sive corrumpat. — corrumpetur, sive corrumpit Pr.

(z) et. — Om. Pr.

(c) parte. — Om. Pr.

simile, ut dictum est. Et consequenter, falsum est quod ibi concluditur, scilicet, quod per appositionem vini omnino consimilis, species non corrumpuntur.

Similiter *secundum argumentum* non valet : quia fundatur in falso, scilicet quod, in tali appositione liquoris ad species, utrumque maneat incorruptum. Et consequenter falsa est conclusio ibidem illata, scilicet quod sanguis Christi maneat sub qualibet parte specierum ut prius, nec desinat esse sub aliqua.

Similiter confirmatio non valet : quia minor falsa est, sicut patuit in solutione argumentorum primo loco inductorum contra conclusionem, potissime in solutione secundi. Sicut enim per appositionem vini omnino consimilis corrumpitur aliqua specierum pars post consecrationem, ita per ejus appositionem fuisset corrupta aliqua pars vini ante consecrationem. De hoc sanctus Thomas, decimo *Quodlibeto*, art. 3, sic dicit : « Aliqua admixtio alterius liquoris facit ut totaliter desinat esse sanguis Christi sub speciebus, et aliqua non, sed solum sub parte specierum. Dum enim esset ibi substantia vini, si alius liquor in magna quantitate admisceretur, totaliter illud vinum corrumpere, et desineret esse vinum, si liquor admixtus esset alterius speciei; vel desineret esse hoc vinum, si esset ejusdem speciei. Si autem alius liquor in parva quantitate admisceretur, non posset illius liquoris permixtio ad totum vinum pervenire, sed ad aliquam partem ejus; quam variaret vel secundum species, si esset alterius speciei, quam per mixtionem non totaliter amitteret; vel secundum numerum, si esset ejusdem speciei; vel speciem suam per mixtionem totaliter amitteret, sicut gutta aquæ projecta in amphora vini. » — Hæc ille. — Et ista intelligenda sunt de liquoribus faciliter penetrativis et penetrabilibus ad invicem, modo prius exposito.

Ad argumenta tertio loco contra conclusionem inducta, dicitur primo, quod conclusio illorum argumentorum in casu est concedenda, et in casu neganda. Unde Petrus (ibid.) : « Videtur, inquit, in hoc esse distinguendum sicut prius. Quia potest esse ejusdem speciei, habens qualitates contrarias, sicut si differret specie. Si ergo vinum dissimile superadditum penetret, vel penetretur, sic quod præexistens dividatur in minima non subsistentia, desinit ibi esse sanguis Christi, vel totaliter, si ad omnes partes hæc divisio et corruptio pertingat, vel partialiter, si ad quasdam tantum. Si autem non fiat corruptio per divisionem, et sit virtus contraria in vinis, et per consequens sint in se mutuo activa, si est æqualitas (α) virtutis, tandem fit tertium vinum, differens numero, et per consequens desinit ibi esse sanguis Christi. Si autem sit major in

præexistente, quia forte erat græcum vel vernaticum, et aliud debile gallicum, vel, si in magna quantitate erant species, et istud in una gutta, tunc species corrumpunt illud, et sic manet ibi integraliter sanguis; si autem econtra, non manet, quia totum corrumpitur (α). » — Hæc Petrus, et bene.

Dicitur secundo, quod rationes pro conclusione adductæ non concludunt. Non quidem *prima*, propter duo : primo, quia falsum assumit, in hoc quod dicit priorem colorem nunquam corrumpi; secundo, quia falsum dicit, in hoc quod asserit priorem saporem nunquam corrumpi, nec alia accidentia sensibilia vini, vel quod corruptio talium nunquam infert corruptionem sacramenti, vel desinitionem sanguinis sub speciebus. — Similiter confirmatio non valet : tum quia est contra arguentem; tum quia falsum assumit.

De istis duobus late prosequitur Petrus (ibid.), dicens : « Ista opinio deficit, quæ dicit quod manet idem color numero qui prius : quia tunc essent multi colores secundum speciem, et per consequens non continui; quia sicut motus differentes specie non possunt continuari, sic nec qualitates. Hoc autem videtur falsum : cum per mixtionem liquidorum fiat unum continuum secundum quantitatem, et per consequens secundum qualitatem, quia qualitas coextenditur quanto, et sic copulantur ad unum communem terminum; ergo, cum totus color sit continuus, videtur esse unus; et sic duo primi sunt corrupti, et tertius est generatus. — Sed ista ratio non videtur necessaria : quia unius continui una pars potest esse alba, et alia nigra; nec erit aliqua pars superficiæ abscolor media, sed distinguuntur se ipsis; nec erunt continui colores, sed nec discontinui, licet sint in continuo. Nec oportet quod, si ex substantiis et quantitibus quæ sunt unius rationis, fiat et tertia, quod propter hoc ex qualitibus quæ differunt specie, fiat tertia. Magis tamen probabile est quod, sicut ex diversis substantiis et qualitibus elementorum fit in mixto qualitas media et substantia media, sic et hic; maxime si verum est quod ex mixtione liquidorum, propter subintroductionem partium, sequatur utriusque subjecti corruptio, quia, per consequens, quantitates et omnia alia accidentia corrumpuntur. Et quod dicit arguens, quod secus est de colore, qui accidit, et de sapore, qui videtur esse propria qualitas vini, — videtur esse contra illud quod supra dixit indistincte, quod corruptio solius qualitatis facit desinere esse sacramentum. Hoc autem dicit non de illa qualitate quæ accidit, sicut color, sed de illa quæ est propria vini, sicut sapor. — Præterea, per admixtionem vini alterius in magna quantitate, quod est fortissimum, ut vernaticum et hujusmodi, non solum mutatur color,

(α) æqualitas. — æqualis Pr.

(α) corrumpitur. — corrumpit Pr.

sed totaliter mutatur sapor, odor, vigor, calor (α), et fere omnes qualitates sensibiles; et sic, secundum eum, non maneret sacramentum. Tamen, sicut supra dictum est, quæcumque accidentia mutantur, si quantitas manet eadem numero sine subjecto, sicut prius, semper manet sacramentum. Sed per tantam mutationem qualitatū naturalium ex natura individui, videtur quantitas corrumpi, ut dictum est; et etiam per subintraionem omnium partium videtur nulla (β) manere sine subjecto; et sic ubique (γ) est alia substantia; et, per consequens, desinit esse sacramentum. — Item, per talem mixtionem fit corruptio substantialis, et, per consequens, omnium accidentium, ut ex supra dictis patet. — Item, si est alia qualitas nova, corrupta qualitate connaturali, totum destruitur, ut supra dictum est. — Et ideo non valet illud quod arguens adducit. Quia, quamvis qualitates diversorum vinorum accidentantur sacramento, tamen, qualitatibus naturalibus corruptis, cætera corrumpuntur, et substantia, si ibi est, et quantitas, nisi miraculose retineatur (sicut quando apparent species carnis et sanguinis, vel pueri, per novas species superinductas; sed non posset fieri hoc, nisi cum corruptione primarum, et per consequens quantitatis, nisi Deus eam retineret). Et ideo, cum eadem quantitas possit esse partim sine subjecto, et partim in subjecto, dum tamen quælibet pars per se sumpta sit tanta quod posset esse per se separata ab omni alia, et in tali natura quale est subjectum quod habet vel habuit; unde, quando minor liquor admiscetur, qui tamen per se prius stabat, fit unum continuum, quod est cum subjecto, quantum occupat pars adjuncta, vel forte dupla, et alia sine subjecto, quanta est residua pars; quæ tamen non sunt ad sensum distinctæ. Sed quando liquor admixtus est major, vel æqualis, fit unum continuum; et quia omnes partes subintrauntur et penetrantur, non est dare partem sine subjecto, quæ posset per se stare, nec aliam cum subjecto; unde totum corrumpitur, et tertium generatur, addita materia, vel multiplicata, et generata nova forma; licet hic (δ) non sit illa mixtio cuius quælibet pars mixti est mixta. » — Hæc Petrus, et bene quoad illud quod dicit de dimensione partim existente in subjecto, et partim sine subjecto. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 77, art. 8, ubi arguit sic (arg. 2): « Si aliquis liquor permiscetur illis speciebus, oportet quod ex illis fiat aliquod unum. Sed non potest fieri aliquod unum neque ex liquore, qui est substantia, et speciebus, quæ sunt accidentia; neque ex liquore et sanguine Christi, qui ratione sui est incorruptibilis, neque additionem recipit, neque diminutionem. Ergo nullus liquor potest admisceri

vino consecrato. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod liquor appositus vino consecrato, nullo modo miscetur substantiæ sanguinis Christi. Miscetur tamen speciebus sacramentalibus, ita tamen quod, permixtione facta, corrumpuntur prædictæ species, vel in toto, vel in parte. Et si quidem corrumpuntur in toto, nulla jam remanet quæstio, quia jam totum erit uniforme. Si autem corrumpantur in parte, erit quidem una dimensio secundum continuitatem quantitatis, non tamen una secundum modum essendi, quia una pars ejus erit sine subjecto, et alia erit in subjecto; sicut si aliquod corpus constituitur ex duobus metallis, erit unum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen secundum speciem naturæ. » — Hæc ille. — Idem dicit, 4. *Sentent.*, dist. 12, q. 1, art. 2, q<sup>ta</sup> 6, in solutione tertii, dicens: « Non est inconueniens unam dimensionem, secundum unam partem sui, esse in hoc sacramento non in subjecto, et aliam esse in subjecto; quia plures partes dimensionis, quamvis sint una dimensio in actu, sunt tamen plures in potentia. » — Hæc ille.

Illud autem quod dicit Petrus, de multiplicatione materiæ, non valet, ut visum est, 2. *Sentent.*, dist. 19. Hoc enim est ita rationi dissonum sicut illud quod dicit Magister de formatione corporis Evæ ex costa Adæ per multiplicationem materiæ, nulla additione facta. Unde sanctus Thomas, 1 p., q. 92, art. 3 (ad 1<sup>am</sup>), sic dicit: « Quidam dicunt quod per multiplicationem materiæ, absque alterius materiæ additione, formatum fuit corpus mulieris, ad modum quo Dominus multiplicavit quinque panes. Sed hoc est omnino impossibile. Multiplicatio enim prædicta, aut accidit secundum transmutationem substantiæ ipsius materiæ, aut accidit secundum transmutationem dimensionum illius. Non autem secundum transmutationem substantiæ ipsius materiæ: tum quia materia in se considerata, est omnino intransmutabilis, utpote existens in potentia, et habens solum rationem subjecti; tum etiam quia multitudo et magnitudo sunt præter essentiam ipsius materiæ. Et ideo nullo modo potest intelligi multiplicatio materiæ, eadem materia manente, absque additione, nisi per hoc quod materia majores dimensiones accipiat. Hoc autem est eam (α) rarefieri, scilicet majores accipere dimensiones, ut dicit Philosophus, 4. *Physicorum* (t. c. 84). Dicere autem materiam multiplicari absque rarefactione, est ponere contradictoria simul, scilicet diffinitionem absque diffinito. » — Hæc sanctus Thomas. — Ex quibus patet quod illa multiplicatio quam ponit Petrus, est irrationabilis, sicut et positio Magistri; et quoad aliquid deterior, in hoc quod ponit eandem materiam, secundum se totam, esse sub diver-

(α) calor. — color Pr.

(β) nulla. — natura Pr.

(γ) ubique. — ubicumque Pr.

(δ) hic. — hæc Pr.

(α) eam. — causa Pr.

sis dimensionibus partialibus, ita quod tota sub qualibet parte dimensionum, et tota sub distinctis sitibus.

*Ultima* (α) vero ratio Durandi non concludit; nam duo falsa assumit. Primum est, quod mixtio non potest esse similium secundum speciem et accidentia; secundum est, quod similia secundum speciem, licet dissimilia quoad accidentia, possunt se alterare, sed non corrumpere. De his Petrus sic dicit (ibid.): « Quod autem dicit arguens, quod similia nullo modo se alterant, — hoc est verum per se; sed per accidens utique possunt: quia divisionem in partes minimas, quæ non possunt per se stare, sequitur alteratio et corruptio saltem a continuitate; et hoc fit per mixtionem partium subintrantium se mutuo; et ideo sequitur miscibilium alteratio. — Quod autem dicunt postea, quod dissimilia secundum qualitates possunt se alterare, non autem corrumpere, — non valet: quia alteratio magis facta abijcit a substantia (sicut major ignis corrumpit minorem ignem), vel saltem per divisionem et subinjectionem. — Et quod dicitur (β), quod mixtio est per secuspositionem partium, — non videtur. Quia, sicut in nutritione, per hoc quod materia cibi fit sub forma nutriti, non est dicere quod distinguatur situ materia adveniens a præexistente; sed utraque est indivisibiliter commixta sic, quia fit una quantitas et una forma substantialis, et per consequens commixtorum. Ideo non videtur quod materia una sub alia distinguatur situ (γ); alias eodem modo miscerentur arida homogenea et liquida; quod tamen ipse negat. » — Hæc Petrus, et bene.

Et hæc sufficiunt ad argumenta Durandi.

Ad argumentum contra questionem, negatur antecedens, pro qualibet parte. — Et ad probationem primæ partis, respondet sanctus Thomas, decimatertia distinctione *Quarta*, q. 1, art. 2, q. 2, in solutione primi, dicens: « Quia intentio requiritur ad perfectionem sacramentorum, ideo, cum omnes habeant intentionem unam consecrationem faciendi, non est nisi una tantum consecratio. » — Hæc ille. — Ad probationem vero secundæ partis antecedentis, respondet, duodecima distinctione, q. 4, art. 2, q. 6, in solutione primi, dicens quod « Philosophus intelligit de accidente cujus subjectum est substantia, quod ei non permiscetur. Sic autem non est in proposito ».

Et hæc de questione dicta sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

(α) *Ultima*. — *tertia* Pr.

(β) *dicitur*. — *dicit* Pr.

(γ) a verbis *materia adveniens* usque ad *situ*, om. Pr.

## DISTINCTIO XIV.

### QUÆSTIO I.

#### UTRUM SACRAMENTUM PENITENTIÆ POSSIT TOLLERE CULPAM REMANENTE REATU

**C**IRCA decimanquartam distinctionem 4. *Sententiarum*, quæritur: Utrum sacramentum penitentiæ possit tollere culpam, remanente reatu.

Et arguitur quod non. Quia, remota causa, removetur effectus. Sed culpa est causa reatus pœnæ; ideo enim aliquis est dignus pœna, quia culpam commisit. Ergo, remissa culpa, non potest remanere reatus pœnæ.

In oppositum arguitur. Quia, 2. *Regum*, cap. 42 (v. 43 et 44), dicitur quod, cum David penitens dixisset ad Nathan, *Peccavi Domino*, dixit Nathan ad illum: *Dominus transtulit a te peccatum tuum, non morieris; verumtamen filius qui natus est tibi, morte morietur*; quod fuit in pœnam præcedentis peccati, ut ibidem dicitur. Ergo, dimissa culpa per penitentiam, remanet reatus alicujus pœnæ.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

#### ARTICULUS I.

##### PONENTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio**: Quod penitentia est sacramentum.

Hanc ponit et probat sanctus Thomas, 3 p., q. 84, art. 1, ubi sic dicit: « Sicut dicit Gregorius (α) (et habetur in Decretis cap. *Multi secularium*, c. 1, q. 1), *Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, ut aliquid significative accipiamus, quod sancte (β) accipiendum est*. Manifestum est autem quod in penitentia ita

(α) Hæc verba non sunt Gregorii, bene vero Isidori, *Ety-molog.*, lib. 6, cap. 49. Divus Thomas, post Gratianum, ea attribuit Gregorio, cum cap. *Multi secularium*, ex quo desumuntur, collectum sit partim ex sententiis Gregorii, partim ex verbis ipsis Isidori et Hieronymi.

(β) *sancte*. — *sane* Pr.